

idem est ac iustificare, cum præsupponatur eum esse in possessione status & actus, qui est iustificandus.

Tertius est casus, quando respectu actus futuri deducitur ætas ad impediendum ne actus fiat, hoc est, si quis admittatur ad aliquod officiū, vel munus. Hoc casu, qui præstatem deducit, probare eam debet. Exemplum, si quis vult impedire, atque ita repellere aliquem, ne possit esse procurator in iudicio, asserendo illum esse minorem, probare id debet, siue Actor, siue Rens sit iste, qui asserit. Ita Petrus, Cynus, & Salic. in l. cum te. C. de probat. Io. Andr. in c. infamibus, de reg. iur. in 6. Lucas de Penna in l. 1. col. ult. C. de fide instrum. & iure hæstæ fisco. lib. 10. & Alc. in tract. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 14. nu. 2. Potest etiam adferri exemplum, quod si quis asserit matrem pupilli esse ab ipsius pupilli successione repellendam ob id, quod non petierit tutorem dari ipsi pupillo, iuxta l. matris. C. ad Tertul. probare debet, filium illum fuisse pupillum. Ita respondit Bald. in consil. 19. factum tale est quidam Vanus, col. 2. vers. præterea iste, lib. 5. quem secutus est Alc. in d. præsumpt. 14. nu. 2. Ea ratione motus est Bald. quod hic, qui asserit matrem non petijisse tutorem, arguit matrem negligentia, & eam criminis quodammodo accusat, & ædolum ei adscribit, ea propter probare debet filium illum fuisse tunc pupillum.

31 Nam qui dolū arguit, probare debet l. quoties. §. qui dolo. ff. de probat. & dicemus in fr. lib. 5. præsumpt. 26. Est etiam exemplum in casu, cuius meminit Alc. in d. præsumpt. 14. nu. 4. quod si pater grauaui filium fideicommissio concessa tamen sibi libera testandi facultate, cum ad vigesimum annum peruenisset, & ipse fuerit testatus, fideicommissarij non grauauntur onere probandi, quod is grauaus esset infra illam ætatem, sed hæredes ab illo in iudicio probabunt, quod is grauaus eius erat ætatis, cum testaretur. Ea est ratio (inquit Alc.) quia iste actus testandi directo respicit præiudicium fideicommissarij. Et ideo hoc casu statum regula. Et subiungit Alc. se ita aliquando vidisse obseruari in foro.

32 Quartus est casus, quando aliquis deducit ætatē ad demonstrandum se esse idoneum, & habilem, vt aliquid consequatur. Exempli gratia, collatum est alicui beneficium, si legitimæ ætatis est, obijcitur huic, quod nõ est legitimæ ætatis, vt admitti debeat. Hic clericus, vt demonstrat se habilem & idoneum, probare debet se esse maiorem, atque ita ætatis legitimæ. Ita Io. Andr. in c. infamibus, col. 3. de reg. iur. in 6. Salic. in l. cum te, col. 2. vers. si verò queritur. C. de probatio. Florian. in d. l. cum de ætate, nu. 7. de probat. Alc. in d. præsumpt. 14. nu. 13. vers. fallit secundo. quæ ita intelligit glossam in cap. prefbyter. 68. distin. & sequitur Mascardus in dicta conclus. 666. nu. 45. & idem decidit Rota Romana referente Verallio in decis. 313. in 1. parte. Et cum iure ipso conuenit prædictum statutum Bononiæ. §. si autem. ibi volens ex ætate maiori, vel minori commodum. Ea est huius sententiæ ratio, quia qui asserit euenisse conditionē, probare id debet, l. in fideicommissi. §. cum Pollidius. ff. de v. l. l. ex his. C. quando dies legat. cedat.

Potest adferri aliud exemplum. Pater substituit filio suo impuberi Caium, si is filius impubes in ætate pupillari decessisset. Decessit is filius, Caius vult admitti ex ea substitutione pupillari, asserens filium illum fuisse pupillari ætatis, quando decessit. Hic ergo Caius substitutus probare debet ætatē illam pupillarem illius filij præmortui. Ita senfit Bal. in consil. 19. factum tale est, quidam Vanus, in l. dubio. & in consil. 145. in causa verente inter dominam, vers. sic, sicut ille, qui dicit. lib. 5. & illum secutus est Soc. in l. qui duos. §. cum in bello, col. ult. ff. de rebus dub. Idem affirmant Bart. in consil. 56. Berta fecit testamentum, lib. 1. Ripa l. ex factis. §. penul. num. 11. ff. ad Trebel. Didac. lib. 2. variarum resolut. cap. 7. num. 7. vers. & sicuti. Aemil. Ferretus in l. cum de æta-

te, in fin. ff. de probatio. & Natta in consil. 95. nu. 4. lib. 2. Ea est ratio, quia substitutio pupillaris est quædam substitutio sub conditione facta, hoc est, si ille pupillus decesserit in ætate pupillari. At ille qui asserit euenisse conditionem, probare debet, d. l. in fideicommissi. §. cū Pollidius.

35 Secundo accedit, quod venientibus præ ab intestato, debetur hæreditas legis dispositione. l. legitima. ff. de verborum significat. cum similibus. At qui vult excludere aliquem ab eo iure, quod sibi competit iure vel naturali, vel ciuili, probare debet causam, ob quam ille excluditur, cum iste habeat legem pro se, atque ita præsumptionem, l. ab ea parte. ff. de probat. Ergo substitutus probare debet mortem pupilli.

Quibus constat minus rectè sensisse eos, qui existimauerunt, quod non ipse substitutus tenetur probare filium illum fuisse ætatis pupillaris, quando decessit, sed hoc opus pertinere ad venientes ab intestato. Quia in opinione fuerunt Io. Baptista à Sancto Seuero in l. precibus, num. 83. C. de impuber. & alijs sublit. Dec. in c. in præsentia, num. 50. vers. prædictis etiam adde, de probatio. Sapia in d. l. de ætate, num. 52. Cur. Iun. in d. l. precibus, num. 9. Alc. in dict. præsumpt. 14. nu. 4. vers. & facit quod. & Mascardus in d. conclus. 666. num. 39. Et ij quidem affirmant ita respondisse Bald. in consil. quod incipit, ex parte contingente, quod sanè responsum inuenire hæcenus non potui. In hanc opinionem ij adducti sunt. Primò l. ex factis. §. penul. ff. ad Trebel. Verum omnis interpretatio Ribæ ibidem num. 11. & Natta in d. consil. 95. num. 7. responderi potest, ibi primum statuisse Vlpianum, quod de decedentibus eodem naufragio patre, & filio, præsumitur patrem superuixisse filio, atque ita patrem deinde decessisse nullis relictis filijs. Quod qua ratione fit factum, dicemus in fr. lib. 6. præsumpt. ubi explicabimus, ex duobus mortuis naufragio, quorum primus decessisse præsumatur. Hac itaque præsumptione posita, sequitur verum esse, quod subiungit Vlpian. euenisse conditionem, atque ita locum esse restitutioni fideicommissi. Non ita est in substitutione pupilli, cum lex non statuerit illum præsumi decessisse in pupillari ætate.

Secundo adducit, quod ita est dicendum fauore substitutionis pupillaris, vt valeat, arg. l. quoties, ff. de reb. dub. cum similibus.

Respondetur, quod immò fauor constitutionis, non est considerabilis, vt probat tex. l. sed, & in illo. ff. de rebus dub. vbi mortuis simul in situto, & substituto, non præsumitur prius mortis pupilli, vt substitutio effectū habeat, immò ea perit, & extinguitur. Nec repugnat regulæ dictæ l. quoties, ff. de rebus dubijs. quia illa non habet locum, vbi agitur de notabili præiudicio alterius, vt declarat Decius in c. super eodem, col. 2. vers. alias secus, de offic. deleg.

Declarantur nunc tres illi casus, in quibus diximus, ætatem probari debere ab eo, qui vel actum impugnat, vel impedire vult, ne fiat, vel tanquam habilis admitti,

37 ij sanè casus declarantur, vt locum non habeant, præiudicio coniectura, & præsumptio ætatis demonstratiua, stat pro eo, qui ætatem hanc allegat. Nam tunc præsumptio, & coniectura stat loco probationis, donec contrarium probetur, iuxta l. generaliter. §. si petitum, in fine. ff. de fideicommissi. liber. Et in probanda ipsa ætate coniecturas sufficere diximus supra.

38 Prima est coniectura, quædo corporis præ aspectus aliter demonstrat. Nam cum aspectus præsumptionem faciat, illi tantæ esse ætatis, l. minor 25. annis. §. adito Pre-fide. ff. de minor. & scribunt Bart. in d. leg. de ætate, num. 10. ff. de minor. dicendum est, hunc proponentem ætatem, satis habere fundatam intensionem, & eius aduersarij debere probare contrarium, sicuti in specie declarat

clarat Bald. in consil. 418. lib. 2. Alber. in l. de ætate, nu. 1. in fin. ff. de minor. 25. annis. in l. si minorem, col. 1. & ibidem Salic. C. de integ. restit. minor. Alc. in d. tractatu de præsumptio. reg. 2. præsumptio. 14. nu. 3. vers. fallit primo. Gramm. in decis. 48. nu. 16. & in consil. 4. nu. 9. in crimin. & in voto 14. nu. 3. & 4. Mascard. in d. conclus. 667. nu. 1. & Sfortia Oddo in tractatu de integ. restit. q. 37. nu. 12. & versatur hic iudicij arbitrium, vt scripsi in lib. 2. de arbitr. iudic. casu 117. Et de probatione ætatis per testes deponentes de aspectu, dicemus in subsequenti præsumptione.

Secunda est præsumptio, & coniectura, quando alicui datus fuisse curator, tanquam minor. Nam tunc præsumitur minor. Ita Bal. in d. consil. 264. in fin. lib. 2. & in l. cum te, col. 1. vers. interdum ætas allegatur. C. de prob. & ibidem Ang. Imol. in consil. 23. nu. 2. Alex. in consil. 21. nu. 1. lib. 1. & in consil. 147. nu. 10. lib. 7. Corn. in consil. 69. nu. 2. lib. 1. Ruin. consil. 99. nu. 5. lib. 4. Dec. in consil. 86. nu. 7. in consil. 25. nu. 5. in fine, & in c. cum venerabilis, num. 26. de exceptio. Iacobi. in l. cum de ætate, in fin. ff. de probatio. Petrus Benintend. in decis. 82. Borgnin. Cauale. in tractatu de tutore, & curato. nu. 294. Sfortia Oddo in d. q. 37. nu. 13. & nu. 90. Mascard. in lib. 2. de probatio. conclus. 666. num. 35. & in conclus. 674. qui latius explicat. Hæc coniectura probatur ex d. l. cum te. C. de prob. Et hanc esse præsumptionem iuris, scripsit Ioan. And. in addit. ad Spec. in tit. de præsumpt. §. species, nu. 5. in verbo, in prædictis.

Cæterum Alex. in consil. 21. nu. 1. lib. 1. intelligit coniecturam hanc locum habere quoad eum, cuius causa datus fuit curator, non autem quoad ceteros oēs, cum quoad reliquos, sit res inter alios acta, quæ nil præiudicat, l. vnica. C. res inter alios acta. Alia est distinctio, quæ facit Alc. in d. præsumpt. 14. in fin. quem visus est sequi Mascard. in conclus. 674. nu. 10. Inquit Alc. aut datio curatoris facta ad alicuius in stitiam, facta fuit sine causa cognitione, & quodammodo extradicitaliter. Et tunc procedit Alex. declaratio. Aut curator datus fuit solemniter adhibita scilicet causa cognitione, in contradictorio iudicio: Et tunc minor illa ætas satis dicitur probata, etiam quoad ceteros omnes. Atque ita procedit indistinctè illa opinio Baldi, Angeli, & sequacium. Ea est ratio, quia actus iste solènis iudicialiter factus, præsumptionem facit, iuxta doctrinam Alex. in l. sapè, num. 71. vers. fortius dixit, qui ait, facere semiplenam probationem, ff. de re iudic. & Tiraq. in tract. res inter alios acta, 41. limit. 19. Cum dixerunt, actus iudiciales facere præsumptionem contra alios. Quæ sanè præsumptio sufficit isto in casu, vt diximus supra. Et comprobatur secundum Alc. loco præalleg. auctoritate Abb. in c. cum inter, il 2. de electio. cum dixit, quod si quis reiectus est ab electione, ob morbum, talis reiectio operatur quoad alias electiones, nisi probaretur sanitas. Quandoquidem illa reiectio facta causa cognita, præsumptionem facit quoad alias electiones.

Verum huic distinctioni repugnat quod scripsit Bart. in hac l. de ætate, nu. 16. cum dixit, quod nec confessio, nec probatio ætatis facta in iudicio contradictorio, alteri nocet, & tamen solemniter ibi omnia facta fuerunt.

Crediderim rectius distingui posse ex mente Salic. in l. si minorem, col. penult. vers. quæro, quidam. C. de integ. restit. minor. & Ruini in consil. 99. num. 6. lib. 4. quod aut minori datus est curator respectu certæ causæ, & certæ personæ. Et tunc datio hæc non facit coniecturam inter alios, ex quo restricta est datio ad illam causam, & alias personas, & limitata causa limitatum parit effectum, l. in agris, ff. de acq. rer. dom. Et hoc in casu procedit opinio, & declaratio Alex. Aut datus est curator minori simpliciter, & absolute, & hoc casu illa datio probat illum fuisse minorem quoad omnes, & quoscunque,

qui deinde eum eo contraxerunt. Et hoc in casu procedit prima illa opinio Bald. & Alber. & Salic. Et prædicta quidem coniectura procedit respectu illius temporis, quo datus fuit curator, non autem si deinde alius actus post ab eo confectus sit. Ita declarat Imol. in d. consil. 23. num. 2. Et confert, quod tradit Bart. in d. l. de ætate, num. 17. de minor. cum dixit, sententiam latam super ætate, fidem quidem facere in alio iudicio, respectu ætatis illius temporis, quo lata fuit.

33 Tertia est præsumptio, & coniectura, quando quis i litigaret cum aliquo tanquam cum minore. Nam ex eo fatari diceretur, eum esse minorem, & consequenter ipse litigans teneretur probare, illum esse re vera minorem. Ita docuit Bal. in l. 2. §. quod obseruari. C. de iure iuran. propter calum. dan. & in l. cum te. C. de probat. & responderunt Alex. in consil. 21. num. 2. lib. 1. Rimin. Sen. in consil. 108. num. 20. lib. 1. Iacobi. in dict. l. cum de ætate, in fin. de probat. idem sensu Alc. in respon. 520. num. 3. & Sfortia Oddo in d. q. 37. num. 15.

*Ætatem hominis, præsumptionibus, & coniecturis interdum probari, & ex quibus hæc præsumptiones aliæque probationes ducantur, varie, & dilucide explicatum.*

## S V M M A R I V M.

- 1 Natiuitatis punctus cum difficilis sit probationis, coniecturis, & præsumptionibus satis probatur.
- 2 Aetas vel maior, vel minor generatim probanda, non est adeo difficilis probationis.
- Quomodo autem probatio ea fiat, num. 3. 8. 11. 29. 33. 38. 42. 53. & 57.
- 4 Venetorum inter nobiles, proficiendæ natiuitatis, consuetudo.
- 5 Libris, & actis publicis quò non habeatur fides, & nu. 6. & 7.
- 9 Scripturæ, & libri parentum, an plenè probent liberorum ætatem, vel præsumptiue tantum, num. 10.
- 12 Testimonium parentum circa filiorum ætatem, an coadiuet, vel ad iudicium ferat alijs probationibus, aut probet semiplenè, num. 14.
- 13 Voci viuæ plus quam mortuæ creditur.
- 15 Domi, & secreto facta, testimonio domesticorum, probantur.
- 16 Mortis filij tempus, testimonio patris probatur.
- 17 Testimonium patris quando faciat fidem plenam.
- 18 Testi à partibus approbato creditur, & plena fides datur, & si alias non sit fide dignus.
- 19 Pater notarius, quando possit recipere in instrumentum pro contractu gesto à filio.
- 20 Testis minus idoneus, coniunctus alijs fide dignis, fidem facit.
- 21 Patri tanquam personæ valde honestæ, & in dignitate positæ, fides plena adhibetur.
- 22 Vxor tanquam personæ valde honestæ pro marito testimonium reddere potest.
- Id tamen in dubium reuocatur, num. 23.
- 24 Persona ob meritum, non est à iure communi recedendum.
- 25 Bonus, & perfectus adeo nemo est, quin legi sublit.
- 26 Patri litiganti aduersus filium non creditur de ætate filij ad detrimentum eius.
- 27 Testimonium in re propria dicere, nemo etiam excelsæ dignitatis, potest.
- 28 Testimonium parentum concurrans cum alio ad iudicium, plenè circa filij ætatem probat.
- 30 Obstetricis, & nutricis testimonio ætatem probari.
- 31 Testium dicta intelligenda sunt, ne contraria appareant.
- 32 Temporis quantitas, ignorato eius initio, cognosci non potest.
- 34 Instrumenta, & testes procedunt à pari.
- 35 Instrumentorum, aliquando maior, quam testimonium fides.
- 36 Instrumentum factum tempore contracti matrimonij, vtrum filij ætatem probet.



- 37 Matrimonium inter personas honestas, precedere consuevit fecimus amplexus.
- 38 Confessio est certa, & manifesta aduersus confidentem probatio.
- 40 Confessione sua, ius aduersario auferre nemo potest.
- 41 Minor maiorem se confessus, nihilominus restitutionem in integrum petit.
- 43 Coniunctus aut vicinus, quibus casibus non præsuntur scire facta coniuncti, vel vicini, & quibus casibus præsuntur scire, num. 44.
- 45 Aetatis cognitio non cadit in consanguineum, vel vicinum, quando est longe maioris aetatis, quam is, de quo agitur.
- 46 Natiuitatis actus est momentaneus, nec præsuntur cognitus a vicino, vel consanguineo.
- 47 Heredes scisse mortem defuncti, quomodo probandum.
- 48 Aetatem non probat testis eiusdem vel minoris aetatis existens.
- 49 Probatio dubia non recipitur.
- 50 Aetas testimonio vicini, vel consanguinei probatur, si aetate maior est, & de probanda aetate in coram agatur. Et quando fallat, num. 51. & 52.
- 54 Plebani seu parochi libro quando adhibeatur fides.
- 55 Excommunicatus censetur repertus apud plebanum in matricula excommunicatorum, non cancellatus, aut abusus.
- 56 Plebani liber, in quo descriptus est baptismus alicuius, quomodo probet aetatem.
- 58 Aetas non probatur testibus per aspectum, quando agitur de probanda aetate non cognoscibili ab omnibus.
- 59 Testis de his que sensu corporeo percipit, testimonium ferre debet, cum aliquo tamen iudicio intellectus, nu. 60.
- 61 Aspectus facile quem decipit.
- 62 Testis deponens de his, que solo iudicio intellectus percipiuntur, probat, si non interrogatus reddidit rationem.
- 63 Aetatem probat testis de aspectu, quando agitur de probanda aetate communiter cognoscibili.
- 64 Qualitas corporis apta ad contrahendum matrimonium, & generandum cognoscitur ex aspectu.
- 65 Aetatis excessus vel maguus, vel modicus, quomodo cognoscatur, & probetur.
- 66 Hominem viuere posse, vel viuere præsumi ad centum annos.
- 67 Aspectus hominis in dies mutatur, & homo alter quodammodo efficitur.
- 68 Vfus fructus ad vitam vsufructuarij respicit, & ea finita, extinguitur.
- 69 Euangelij locus antequam Abraham fieret, ego sum, declaratur.

P R A E S U M P T. L I.

CVM superiore præsumptione disputatum a nobis sit, quis teneatur probare aetatem in iudicio deductam, nunc contingit dubitari, quomodo & quibus probationibus demonstrari illa possit? Hac in re duos casus distinguere soleo, quorum vnus est, quando agitur de probando aetatis principio, sicque de probando puncto natiuitatis: alter, quando solum tractatur de probanda ipsa aetate vel maiori, vel minori generatim (vt ita dicam) & non punctim.

Primo illo casu verè difficilis est illius aetatis probatio. Cum punctus natiuitatis incognitus sit, ex quo clà & in occulto parere solent mulieres. Et propterea coniecturis & præsumptionibus satis probatur, vt scribunt Bal. in l. cum te, nu. 2. C. de proba. in conf. 2 l. 3. occurrit dubium, in fi. lib. 2. & in cōf. 19. factum tale est. Quidam Vanus, col. 2. vers. modo venio, lib. 5. Iac. de S. Georg. in l. cum de aetate, nu. 2. ff. de prob. Sebast. Sapia in l. de aetate, nu. 24. ff. de minor. Alc. in trac. de præsump. reg. 2. præsump. 14. nu. 5. & in respon. 409. nu. 2. Soc. Iun. in conf. 3. nu. 1. lib. 2. Gratius in cōf. 42. nu. 24. lib. 1. Put. in dec. 202. lib. 1. Sfortia Oddo in trac. de in integr. restit. q. 37. nu. 32. Mascard. lib. 2. de probat. concl. 665. & 675. Quintilian. Mandos. in Commentar. ad regulas Cancellariæ.

reg. 18. de aetate pro canonicatu, q. 4. n. 3. & Rota Rom. in dec. 260. nu. 1. in 2. parte in nouissimè editis. Quocirca testimonium obstetricum, parèrum, & vicinorum plurimum valebit, & de quibus quidem probationibus statim dixerimus. Et has quidem probationes coniecturales sufficere etiam quando conditionaliter probationes requiruntur, scripsit Sapia in d. l. de aetate, nu. 25. & Mascard. lib. 2. de probationib. in concl. 675. nu. 11. Veluti si clericò collatum est beneficium sub conditione, si legitime aetatis est, Hanc enim legitimam aetatem probare debet clericus iste, vt censuit post alios Alc. in d. præsump. 14. nu. 5. vers. 3. fallit. Ceterum traditio hec pendet ab his, quæ scripsi superiore lib. q. 37. cum explicauimus, an præsumptiones, & coniecturæ verè probationes dici possint cum conditionaliter requiruntur.

Secundus est casus, quando agitur de probanda aetate maiori, vel minori generatim, non autem (vt dixi) punctim. Hoc casu difficilis non existimatur aetatis probatio, quemadmodum præcitarunt Doctores scribunt, præsertim Sapia. Et hoc in casu variæ, & plures fieri solent probationes.

Prima est aetatis probatio, quæ sumitur ex libris, & actis publicis Ciuitatis, & Oppidi, in quibus quidem actis, & libris describi solent homines statim quo nati sunt. Ita in specie Alciatus, Mandosius, & Mascardus, quos infra commemorabo, & probat tex. l. etiã, de probat. cuius verba hæc sunt. Etiam matris professio de aetate filij recipitur, sed & atriæ. Profiteri est publicè apud acta aliquid vltro denunciare, quod vulgo insinuare dicunt, quemadmodum auctoritatibus bonorum auctorum declarat Gulielmus Budæus in annotat. Pandectarum, ad l. cum de aetate. ff. de probat. quod loci scribit, consueuisse antiquos sibi natos liberos denunciare, vt describerentur apud acta Præfecti atriæ Saturni, sicuti meminit & Iulius Capitolinus in Marco Philosopho Inter hæc (ait Capitol.) Liberales causas ita iuuat, vt primus iuberet apud Præfectos atriæ Saturni, vnum quemque ciuium natos liberos profiteri, intra 30. diem, nomine imposito. Et idem in Gordiano ita scriptum reliquit. Nam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine, Antonini signo illustrauit, cum apud Præfectos atriæ, more Romano professus filium, publicis actis nomen eius insereret. Et Suetonius in Tiberio ita scripsit. Natus est Romæ in Palatio 16. Kalen. Decemb. M. Aemilio Lepido iterum, & M. Planco Coss. post bellum Philippense, sicuti in fastos, actaq; publica relatum est. His accedit & Apuleius apologia 2. cuius verba adscripsi. De aetate verò Pudentillæ, de qua post ista satis confidenter mētites es, vt etiam sexaginta annos natam diceret nupsisse, de ea paucis tibi respōdebo. Nam in re tam perspicua non est opus pluribus disputare, Pater eius natam sibi filiam more cæterorum professus est, tabulæ eius partim tabulario publico, partim domo asseruantur. Quæ tibi ob os obijciuntur, Porrigite Aemiliano tabulas istas, ligna consideret, signa quæ impressa sunt, recognoscat, consules legat, annos compute. nisi fallor, inueniet nunc Pudentillæ hand multò amplius quadraginta annorum aetatis ire. Huius professionis institutio facta fuit primum a Sernio Tullio Rege Romanorum 111. qui primis illis vrbis temporibus instituit, vt parentes cognatiue nascèrium, certam pecuniam publicè Iunoni Lucinæ darent. Qui etiam ab adolefcentia in vrbem aetatem migrabant similiter donum dabant. Inuenta Dea, morientes tantumdem Libitina. Qua ratione id factum fuerit. Dionysius Halicarn. lib. 4. antiqu. Rom. memorie prodidit his verbis. Vt singulis annis cognoscere possent, quantum esset in vrbe ciuium, & cuius aetatis. Ea cura translata inde fuit, auctore Liuiο ad censores M. Gegano, & M. Tito Quintio Capitolino Coss. Itaque singulis Lustris noua Censuram creatione id

id fiebat. Ea que a profitendo professio dicta est. Post Censores Prætorum ea cura fuit, teste M. Tullio in Orat. pro Archia Poeta. Cæsaris deinde Augusti temporibus a Cæsare ipso constitutum fuit, vt hæc professio fieret omnibus in prouincijs, teste Luca Euangelista, capit. 2. Exijt edictum ab Augusto Cæsare, vt describeretur vniuersi orbis.

Hæc professio fiebat, addito die, & consule, propterea professione etas facile probari olim poterat, l. 1. C. si minor se maiore dixer. Hac itaq; de professione loquitur text. dict. l. etiam. ff. de probat. sic etiam intelligi debent l. cum de aetate. & l. vlt. ff. eod. Ita & l. 2. & l. 3. l. forma. ff. de censibus. l. nec omnia. & l. parentes. C. de liberali causa. & l. non nudis. C. de probat. Et hæc professio aliquando appellatur scriptura natiuitatis, l. 2. in princip. ver. etas. ff. de excus. tut.

Hic mos profitendæ natiuitatis filiorum obseruatur & hodie Venetijs inter filios, qui lege ipsa Veneta tenentur statim quo nati sunt filij, publicis in actis referri facere, vt aliquando summis illis nobilitatis priuilegijs potiantur. Et huius Venetæ legis meminit & Coraf. in l. Imperator, la 1. de statu homi. Mos etiam iste obseruatur Florentiæ, teste Quintiliano Mandosio in Commentarijs ad regulas Cancellariæ, ad reg. 18. de aetate in canonicatu, q. 9. qui scriptura reliquit. acta hæc publica fidem facere. idem censuit Gram. in dec. 48. in fin. & secuti sunt Sfortia Oddo in trac. de restit. in integr. q. 37. nu. 48. & Mascard. in lib. 2. de probat. in concl. 671. Et ratio satis manifesta est, quod persona officialis, qui nomina natorum in actis retulit, a publico approbata est, ob id fides ei adhibetur. Bart. in l. quædam. §. nummularios, in fi. ff. de edend. & ibidem Iaf. col. 2. Sal. in l. exemplo. col. 1. C. de probat. Alex. in conf. 179. nu. 5. lib. 6. Iaf. in repet. l. admonendi, num. 23. ff. de iureiur. & Dec. in conf. 596. nu. 5. Quo tamen plena fides adhibetur his codicillis & actis, requiritur, vt is actarius officialisque fuerit a publico electus, quod conscripserit librum, vt libri publici conscribi eo in loco consueuerunt, & demum, qz is liber fuerit positus inter alias scripturas publicas ad ipsam Rempubicam pertinentes. Ita Bald. in Rubr. C. de fide instrum. col. pen. & vlt. Burr. & reliqui in cap. 2. de fide instrum. & Alex. in conf. 187. num. 2. lib. 7.

Declaratur primò, vt libro, & actis publicis nõ adhibeatur fides pro ipso actuario scribente, sed solum pro tertio & contra tertium. Ita Bart. in d. §. nummularios. quem statim referam. Ita dicimus, instrumentum publicum Notarij nõ probare pro ipso Notario, vt docuit Bart. in d. l. quædam. §. nummularios. ff. de edend. Idem Bart. in l. si consul. ff. de adopt. & in l. 2. ff. de stipulat. seruo. & Alex. in l. sciendum, col. 2. ff. de verb. oblig. Verum dissentire videtur Iaf. in l. de eem, nu. 35. de verbor. oblig. qui in specie scripsit, præsumptionem efficacem facere pro ipso scribente. Quandoquidem ratione & causa publici officij ei credendum magis est, quam priuato, argum. l. 2. C. de off. ciuil. iudic. & c. in nostra, de procur. Nam huius fides a tota vniuersitate approbata est, & ob id ad eius fauorem fides adhiberi debet. Possunt conciliari he opinioniones, vt illa prima procedat quãdo officialis vti vellet libro hoc contra tertium, qui eius personam non approbasset, & cum quo res gesta non esset. Illa verò opinio Iasonis procedat, quando is actarius & officialis fuisset, & ab eo tertio approbatus. Ita distinguit Crau. de antiq. tempor. in 7. particula primæ partis princip. num. 68. in fin. Bononia cessat hæc dubitatio, cum prudenti eorum statuto lib. 2. Qualiter procedatur, si super aetate contendatur. §. præterea. & §. seq. decisum sit, quod plena fides adhibeatur his publicis libris, cum illius scriptoris persona de publico fuerit approbata.

Declaratur secundò, vt si locum non habeat, quando

officialis actuariusque scripsisset eo in codice natiuitatem forensis, & exteri. Nam tunc is liber fidem non facit. Ita simili in casu respondit Alex. in conf. 68. nu. 15. in fi. lib. 2. quem secutus est Crau. in d. tractatu de antiq. temp. in septima particula primæ partis principalis, nu. 76. Ea est ratio, quia fides actuarij, publicique officialis, approbata est a suis ciuibus tantum, non autem a forensibus. Quare crediderim, aetatem filij exteri non probari libro huius actuarij, sed scripturam illam adminiculum aliquod addere cæteris de aetate probationibus.

Declaratur tertio, quãdo is filius reperiretur deinde falsò conscriptus. Alber. in l. 2. nu. 1. C. si minor se maior dixer. Sfortia in d. q. 37. nu. 85.

Declaratur quarto, vt non possit probari contrariū. leg. 1. C. si minor se maior dixer. Et in specie annotauit Monterentius ad dictum statutum Bononiæ. §. pen. in verbo, plena fides.

Secunda est etatis probatio, quæ fit libro, vel alia scriptura parentum. Hac tamen de re fuerunt interpretum opinioniones, nam aliqui existimantur, has parentum scripturas, & libros plenè probare filiorum aetatem. Ita in specie docuit Salic. in l. cum te, nu. 4. C. de probat. & in l. si minorem, nu. 10. vers. nunc quæro, quomodo literis. C. de in integrum restitut. minor. & apertius Nicola. de Neapol. in l. excusantur, in princ. de excusa. tutor. quem sic commemorat Soc. Iun. in conf. 3. nu. 5. in fin. lib. 2. & Salicetum secuti sunt Ruin. in conf. 31. nu. 7. lib. 3. Curt. Iun. in conf. 118. nu. 8. Quintilian. Mandosius in Commentarijs ad regulam Cancellariæ 18. de aetate in canonicatu. & Roland. à Valle in conf. 31. num. 2. lib. 1. & Ioseph Ludou. in dec. 55. nu. 6. par. 2. Petrus Benintend. in concl. 47. nu. 2. Sfortia Oddo de restit. in integrum, q. 37. num. 91. & idem decidit Rota Romana referente Verallo in dec. 314. part. 1. Et ij quidem adducti sunt ex l. 2. in princ. ff. de excus. tutor. & l. etiam. ff. de prob. de quibus statim aliqua dicemus. Est etiam vsus Nicolaus ille ratione quadam, quod scilicet præsumptio semper plenam probationem faciat in his, quæ sunt veritati consona. Quæ sanè ratio leuis est. Nam negari facile potest, hæc esse veritati consona.

Alterata itaque fuit opinio eorum, qui dixerunt libros & scripturas parentum probare aetatem præsumptiuè tantum, Quia in opinione fuit Bald. in l. neque natales, nu. 5. C. de probat. quem secuti sunt Alex. in additionibus ad Bar. in l. de aetate, nu. 11. in verbo, tantus. ff. de minor. & Bernardin. Landrianus in annotationibus ad Bart. in conf. 92. lib. 1. Eiusdem quoque opinionis fuit Sal. sibi parum constans, in l. etiam, col. 1. ff. de probat. & idem affirmauerunt Iacob. & Socin. Iun. in conf. 3. nu. 5. lib. 2. Eandem opinionem visus est probare Crau. in trac. de antiq. temp. in 8. particula primæ partis principalis, nu. 34. dum relata traditione Baldi subiungit se credere, quod si pater viuit, & iurat ita esse, semiplenam probationem facit. Ergo sentit Crauetta, quod si nõ iurat præsumptiuè tantum probat, & Crauettam secutus sum in lib. 2. de arbitrarijs iudicium, casu 116. nu. 4. & 5. & ij quidem moti sunt ex l. 2. in princ. ff. de excus. tut. ibi dicitur aetatem probari, aut natiuitatis scriptura, aut alij demonstrationibus. Verum natiuitatis scripturam appellauit Iuricons. professionem illam, quam in actis publicis facere consueuerunt parentes de filiorum natiuitate, de qua supra diximus. Ita etiam loquitur l. etiam ff. de probat. quæ, & a prædictis allegatur. existimauerim ego præsumptiuè probare, quia verisimile non est, quod pater mendacium scripserit, quippe quod nulla tunc suberat causa, quæ impellere eum poterat aliter scribere, quæ ipsa esset veritas. Plenè autem nõ probat, cum iure cautum non sit, tantum fidei esse illi scripturæ tribuendum, Declaratur tamen prædicta traditio, vt locum non habeat,